

remissionem omnium peccatorum &c. sequitur Expositio, quae *σχεως* ita procedit: *Diligite iusticiam qui iudicatis terram. Iste liber dicitur liber Sapiencie quam sapienciam qui voluerit habere et eam inuenire oportet iusticiam diligere. Et de illo super istis verbis erit sermo &c.* Non tantum ad margines et inter Textus lineas inveniuntur *γλωσσηματα Bohemica*, sed ipsi etiam Commentario inserta sunt, unde Opus non scriptum modo, sed et compositum in *Bohemia* autem, licet Autorem nequeam indicare. Finit ille: *Magnificetur anima mea in oculis domini et liberet me de omni angustia. Quod nobis concedat qui sine fine viuit et regnat deus in secula seculorum Amen.* Subdit Scriptor: *Finis adest operis mercedem posco laboris. Expliciunt dicta valde pulcra et utilia super librum qui vulgo nominatur Sapiencie Salomonis. finita Sabbato in die cathedre petri que fuit tunc temporis Sab-*

bato ante dominicam primam XL me in qua cantatur Invocabit me Anno M^o CCCC^o LXXVII^o Sit laus et gloria omnipotenti deo in secula seculorum Amen.

CI. VII. 9. 8

Codex chartaceus lat. Sec. 556 XV. Folior. 285. 4. caractere crasso exaratus et rubricis distinctus est *Commentarius* ille in *Librum Sapiencie*, quem jam Cod. praeced. prodidimus. Hic tamen ita subscribitur: *Expliciunt dicta pulcra et utilia super librum Sapiencie. Et hoc Anno domini M^o CCCC^o LXXXII^o feria IIII in die Johannis et Pauli martirum beatorum Sit dominus deus benedictus in secula seculorum Amen.* Quâ ratione Codex hic olim ad *Wencesl. Rossam* saepe nobis jam dictum pervenerit, e sequentibus, partim principio, partim fini adjectis eruitur.

Gallus eram quondam qui librum tenui istum

Sed (Gallus) jam non sum: Quia saxa teno.

In villa Krzeffin anno 1536 Rogationum feria III ibi prope occisus est quidam Sacerdos wolfgangus moravius aduersarius (Utraquistarum?) Et in proximo Sabbato sepultus Cimiterio gallus. In tempore Wenc. a profforouia gerens plebaniam in Horcepnik. — Ad manus Liber venit Wenceslai post Sacerdotem Gallum qui obiit in villa Skrzeffin et ibi honorifice per manus Sacerdotum sepultus 1536.

Sabbato post Ascensionem domini. Sillaba in pede Crucis Horcepnensium Rossa tercio Anno plebanus (cognomento) scribit. Quid Sillaba in pede Crucis? Modestiaene formula?

CII.

Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. nunc 36. f. figuris pluribus picturatis insignitus con-

finet *Commentarium in Isaiam* prophetam, cujus autor est *Joa- chimus Calaber Ord. Cisterc.* primum *Curatii* Abbas, dein *Congregationis Florensis* institutor, vir, ut multis visum, spiritu prophético, aut saltē magno intelligentiae dono, et doctrina non vulgari praeditus, Sec. XII. Scriptor. Initium Codicis nostri *ἡσέρον προτερον* compacti nunc est a C. XIII. *Isaiae* hoc tenore: *Ecce in provinciis istis Auster et oriens describuntur quae et quia date sunt in Atrium exterius &c.* Coincidunt haec cum *fol. 28. edit. Venetae* Commentarii hujus per *Laz. de Soardis 1517. 4.* Deficit itaque loco suo *Prologus* et XII. *Capp.* expositio, cetera usque ad finem salva sunt; at vero *fol. 26. Prologus* et praedicta expositio subsequuntur. *Figurae*, quae in *edit. supracit.* Commentarium antecedunt, nobis a *fol. 21 — 25.* unacum adjectis notis habentur, et quidem tribus plures, *Aquila* videlicet, *Arbores* duae et totidem *Specula manualia*, quarum Lemmata hic adponere difficiles nugas censemus. *Schemata* vero, quae Enumerationem *Regionum* circulis conclusarum exhibent, quaeque in *edit.* a *fol. 9.* usque ad 28. visuntur, in *Cod. nostro* a *fol. 32.* ad finem pertingunt. Ultimum est *Santa seuerina.* Itaque maximam partem deficiunt. De Autore ejusque Scriptis, quae *των Αποκαλυψεων* studiosi vel hodie nare sagaci persequuntur, adi *Papebrochium Aët. SS. T. VII. Maji 29.*

p. 89. aut *Fabricii Bibl. T. IV. p. 39.*

CIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 533 XV. Folior. 190. 4. a Diversis conscriptus et olim e Bibliotheca homiletica, quae multa jam nobis subpeditavit, *Wenceslai Rossii*, ut ejus nomen 1519. *fol. 6.* et iterum *Vlassimii 1540. fol. 156.* inscriptum testatur, sequentia complectitur: I. Fragmenta cujusdam Sermonis de *Poenitentia*, qui incipit: *Beati quorum remisse sunt iniquitates. loquitur propheta in persona penitentis &c.* et Quaestionis de *Irremissibilitate peccati in Spiritum S.* hoc initio: *Orationibus in christo premissis. Quia dubitantibus sanum est consulere &c.*

II. *fol. 3.* sequitur: *Lectura Magistri Stephani de Colonia sacre Theologie professoris super yzaiam prophetam.* Initium: *Uiso yzaie etc. Liber iste diuiditur in titulum et tractatum. Vel primo describit suam propheciam. 2° subiungit descriptam &c.* De Autore nil reperio. Vastum fuisse oportet ejus Commentarium, siquidem *Prophetam* emensus est, quae habentur in *Codice*, *Caput II.* non superent. Multa lectu digna continet. Ita *fol. 64.* in C. II. v. 4. *conslabunt gladios suos in vomeres*, haec habentur: *Sed beu- bjs iam mestis temporibus res uersa est in oppositam qualitatem. Ita ut iam non gladios in vomeres sed e conuerso vomeres in gladios com- mutant*